14



# IOANNIS DE CARMONA, MEDICI HISPALENSIS, QVONDAM Llerenæ perpetui decurionis, eiusdemque Sanctæ Inquisitionis Medici iurati, Regiaque mercede conducti, responsum aduersus insidiosissimos insidiatores, de vena ex latere affecto secanda in pleuritide.



QVIS Dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum non modo vt plangam mortuos populi mei (vt ait Hieremias) quin in tota Christianorum terra, quin etiam adhuc, Medicos vniuersi orbis, tã in Vniuersitatibus docentes, quam non docentes, medicantes tamẽ pleuriticos; vno vero dempto, quem fælicissima sorte, Deus optimus maximus, nobis, hoc tempore produxit. Qui & Medicus & Theologus consummatus sit, adeo vt oẽs tractatores (vt sibi videtur) medicinæ superauerit, quod ad pleuritidis curationem attinet Et merito quidem. Nam, bonæ Deus, quanta verborum facundia? qua proprietate? quali Latinæ linguæ elegantia? perhorrescat ergo vniuersa Medicorum cohors huius summi Theologi sententiam, qua omnes Medicos, sinistre pleuritidem curantes, lethaliter peccare promulgat. Medicentur itaque iuxta huius noui Pythagoræ sententiam, aliás enim, gehænna, ignis eos expectat. Stultus ego qui meliorem stili partem eam legerim quæ deleret, quam quæ scriberet, vt cum Hieronymo loquar. frustra ergo Galeni, Hippocratis, Alexandri, Pauli, Aetij, Oribasij, frustra Arabum, Latinorum, tam veterum, quã neotericorum, diurna, nocturnaq; versaui manu commentaria. Si, αυτοδίδακτος, quidam homo in medium prosiliat, qui eloquentia Tullium, argumẽtis Aristotelem, prudentia Platonem eruditione Aristarchum, omnes denique sui temporis & præteriti (vt supra diximus) tractatores superet. Habet latera, & athletarũ robur, & belle corpulentus est. Fortis est, & in disputando nodosus & tenax, quin etiam, carneadis ritu, & pro iustitia & contra iustitiam disputare, paratus, atque rationibus istructus est: nã quem criminosum non liberasset eius oratio? quis, hoc volente, fuisset innoxius, cum cœpisset in digitis partiri causam & syllogismorum suorum retia tendere? liberatus est mundus, quod hic forum negligens, ad medicinam se contulit. Nam si coram iudicibus applosisset pedem, intendisset oculis, rugasset frontem, iactasset manum, verba tonasset, tenebras illico ob oculos, offunderet iudicibus. Sed, ô Deum immortalem, quàm infanda, tremenda, eiulandaque calamitas! Dicam cum Esaia Propheta, Audite cœli, auribus percipe terra. quid? populi Christiani, scilicèt eiulatus, *Hinc* enim, non *canere*, sed *plangere incipiam, vos ô clarissima mundi, lumina labetem cœlo quæ ducitis annum.* At quænam tanti planctus causa? quòd scilicèt dominus Deus noster, propter populi scelera, tradidit quosdam in reprobum sensum Medicos qui, quod ad pleuritidis curationem attinet, sic autorum classicorum sententias, torquent atquæ distorquent, vt nesciam an cacodœmonis astu, res nocentior excogitari posset, vt procedente sermone monstrabo. Sed vtinam magistri non essent, sisteret enim ibi malum. Nec pernicies illa amplius serperet. Cui nisi obuiam eatur, actum esse de maiori generis humani parte non dubito. Sed enim quod magis miremur, si eos, ab recto tramite deuios docere tentes, statim loquutionibus barbaris, contumeliosisque verbis, & irrisionibus te insectantur. Adeo indelebile vitium est vehemens ignorantia, præsertim si superbiæ adiungatur. *At stultus*, vt ait Salomon, *verba prudentiæ non audit: nisi ea dixeris quæ versantur in corde eius.* Sed horum discipulos, terque quaterque moneo caueant, ne, ab omnibus abdicatam vniuersitatibus, sententiam sequantur. Quia in inferno, si semel ingrediatur, nulla est redemptio Miserere mei Deus & salua me. O vtinam Ægyptiorum nunc adhuc custodiretur lex

qua Medicis cautum erat, si vt in medicinæ libris statutum erat, non curarent, laboransq; mortem oppetijsset, capite mulctabantur. Sin autem secundum librorum statuta, culpa vacabant. Fortasse Medicis temerarijs terrori esset, nunc vero cum nulla capitalis pœna Medicis immineat, quid mirum si quiuis ex trinio, de compitis ve Medicus, pro libidine sua, ægros medicetur? At dicet, sustenus quidam, quid ergo? an nō id ipsum contra vos est? Ego enim secundum ea quæ abs Grecis, Arabibus, atque Latinis statuta sunt ægros curo. Si autem vos non intelligitis, quid ad me? vos videritis. Cui ego vtinam vera diceres, nec tam aperte falsa. Nam præter id quod, omnium vniuersitatum sententia, falsa dicis (quæ peruicacissimum quenq; tacere compellerent, tu vero, velnti imperiti luctatores: quippè qui etiam supini, ab aduersarioque prostrati, malignæ de collo pendentes, manibus pedibusque, ne dicam etiam dentibus eum ferire modis omnibus tentat) adhuc proteruire nō erubescis! etiam rationibus demonstratiuis: te tota errasse via, probabo; nec Galeni, nec Auicenæ, Hyppocratis vè, assequutus fueris sensa. Porro vt hoc maiorem mihi incutiat admirationem, me cæcutientem appellat magister gentium. Hem, quid faciam? orationes discere opus est. At, doctè magister, tu qui es strenuus es orator, aliquas me doce obsecro: Nam medicina visuq; orbatus, vnde nam victum capiam nisi hostiatim orationes recitando? timeo enim si, te magistro, medicinam iterum discere tentem, ne ambo in foueam cadamus, cum cæcus cæcum ducat. Sed, his dimissis, vt ad rem deueniam, primo supposita; quæ præmittit meritissimus magister, summatim referam, vt res clarius innotescat: quæ merito supposita vocantur.

## PRIMVM.

PLEVRITIS Est morbus fotus & complicatus ex duplici causa, coniunctā scilicet, & antecedenti, quæ coniunctam fouet.

## SECNDVM.

QVANVIS admitti posit (suis vtor verbis) quod quandoque pleuritis incipiat & fiat per defluxum ex aliqua speciali parte in qua causa antecedens vigere cœperit, vt ex capite, plerunque, semper tamen sit cum vitio aliquo sanguinis & humorum in genere venoso.

## III. SVPPOSITVM.

QVOTIES se offert morbus dependens a causa coniuncta & antecedenti, a qua adhuc fluxu continuo desumitur, & proxime periclitatur causa coniuncta: prudens medicus tenetur aggredi curationem regulariter ex semotione & correctione causæ antecedentis. Dixit regulariter, nam quandoque, propter vigentiam, vt ait, subitam morborum, cogimur inverso ordine causæ coniuctæ subuenire, relicta antecedenti.

## QVARTVM.

REVVLSORIA, deriuatoria, & euacuatoria auxilia, ita adaptari in morbis partialibus diuersitati, & dependentiæ mutuæ causæ antecedentis & coniunctæ; quod veluti euacuatio respicit directè causam coniunctam, ita deriuatio respicit vel eandem causam cōiunctam, quæ per eandem partem affectam euacuari nequit, vel illā portionem causæ antecedentis parti affectæ proximam in venis proximis minantem proximum casum in eam. Quare oportet deriuare per proxima loca quemadmodum, reuellere causam antecedentem in sui principio & fluxus initio constitutam regulariter.

QVINTVM.

QVICQVID fit in incepta iam pleuritide (eius sunt verba) in imminenti tamen, in qua adhuc timetur, etsi quieta, ne moueatur aliquando; vt in ijs qui quot annis pleuritide laborare cousueuere, non licet sanguinem mittere, praecauaionis gratia, ex latere quo pati consueuit; sed ex opposito, ne sanguinem ad partem quae pati solet auocemus.

Hæc sunt quæ supposira vocat Magister, quæ merito supposita dicutur: nã omnia supposita, rigide intellecta, vel defecta, vel falsa sunt. At vero vt quantũ contineant veritatis, examinemus; sigillatim perpendere opus est. Vt ergo a primo incipiam, miror maguopere magistrum quam barde pleuritidem definierit. (assumit enim remotissimum genus differentiamque, adeo vt fere omnes cõprehẽderet morbos, vt cuilibet incipienti summulistæ, vt ille alibi ait, patere potest.) Omnes bonæ definitionis, conditiones desiderans. At dices, hæc non definitio, sed descriptio est. Sed, ò bonæ, quare definitionem omisisti, si eã æque ac descriptionem, proferre licebat? Sed esto, sit descriptio. An non datur bona descriptio per proprium genus? Descriptio enim nihilominus a definitione differt quam propria: aut accidentali rei definitæ (quatenus est signum differentiæ essentialis) differentia. Genus enim, tam in definitione quam in descriptione, semper est notum: differentia vero non semper. Imo vt plurimum ignoratur. Adde quod in pleuritide notissima est. Quare otiose nimis descripsit cum definire posset. Accedit quod cum pleuritis de nomine sit notissima, frustra definire opus erat, nisi vt chartarũ maius fieret dispendium. Atque hactenus de primo falso supposito. Ad secundum deuenio.

Cum igitur tria considero temporis aduerbia, hominis obliuionem, seu ingenij tarditatem, demiror. Etenim si quandoque, vt ait pleuritis, incipit per defluxum ex aliqua speciali parte, vt ex capite plerunque, quomodo cohæret cum, qnandoque? Quippe quod quãdoque fit, non plerunque fit. & quod semper fit non plerumque fit, sed nunquam non fit. At dices, id ex punctis male ordinatis prouenisse. Esto sané. Sed errores multiplicabis: si quidem, quandoque, & plerunque, coniunctis manentibus, superest, tertium falsissimum esse. Quod tum ratione, tum vero authoritate probatur. Primo ex Hyppocrate 2. de victu acu. tx. 10. *Dicente, nec vt copiose sanguis detrahatur, est cunctandum, sed eo vsque auferendus, donec rubidior multum, vel pro puro rubido liuidus fluxerit; nam vtrunque contingit.* *Inibi Galenus sic. Sed cum vacuandi sanguinis terminum, coloris mutationẽ posuerit, deinceps est de eo disserendum. Quicquid ergo sanguinis in phlegmone continetur, id caloris abundantia colore permutatur: reliquum autem in partibus omnibus simile manet. Eam ob causam sanguine, qui in totum spargitur corpus, pituitosiore existente, rubicundior sané erit, qui in eo quod phlegmone obsidetur, latere continetur. Quòd si sanguis in corpus totũ diffusus rubidus fuerit, is proculdubio, qui ad phlegmonem est, adustus, assatusque in nigrum permutabitur. Liuidus autem in ea, quæ fit a rubido ad nigrum, transmutatione medium obtinet. Coloris igitur mutatio sanguinis ex particula inflamata translationem, sufficienter cõmonstrat.* Hæc ille. Patet ergo manifesté, non semper fieri pleuritidem ex sanguine vitioso, hoc est putri, tanquam a causa antecedenti, contento in venis. Nam cum Galenus & Hyppocrates ruborem sanguinis, vt est antecedens causa, puritatemque præesse in sanguine, ante apostematis, tum generationem, tum fomentationem, fateantur; forte nec quandoque, vitium putredinis, intra venas, sanguinem contaminabit. Traustulit Auicena hanc sententiam quamuis truncatam & barbare prolatam, nisi vertentis vitio factum sit, forte aduersarius, diuerticulum quærens, (vt illi mos est) dicet, me diminute autoritatem interpretasse. Quod sanguinem pituitosum præexistẽtem subticuerim; sed soluitur argutiola: nam pituita, quam sauguini mistam, Galenus ait in totum sparsam corpus, putridam non esse, manifesté patet; cum in sanguinem mutari in venis cõtentus in parte affecta videatur. *Eam ob causam sanguine, qui in totum spargitur corpus, pituitosiore existente, rubicundior sanè erit, qui in eo, quod phlegmone obsidetur latere continetur.* Nouas ex ingenioli sui officina, strophas quærat argutator stre

nuus

nus Quo fit vt,cum pituita in sanguinem per vlteriorem coctionem,Galeni sententia,cõuertatur,putridam non esse,manifestè colligitur. Humor enim putridus nullatenus post coctionem nutrire potest. Vt ex illo qui per venæ sectionem extractus est. Cum pituita nihil aliud sit quam sanguis diminute coctus,hoc affirmante vniuersa Medicorum schola. Hinc etiam manifestissimè constat, Hippocratem atque Galenum,vna sanguinis detractione,simul euacuare & reuellere,vena secta,ex eodem affecto latere. His adde quòd etiam in principio morbi,quin adhuc postquam partem pleuritide affectam inanire tentauerit,humore per fomenta discusso:vt desinant,isti deriuatores,suam tantopere deriuationem,tanto hiatu,quiritatuque proclamare. Quorsum? vt Hippocratem & Galenum torqueant,distorqueant,atque retorqueant:vt suis insomnijs subscribere faciant,etiam renuẽtes. At dicent,non de reuulsione,quinimo de deriuatione,ibi agere hi autores. Quibus obstat eorum sententia:verum de his postea plura. Nunc vero ad pensum redeo. At vero fluctuante animo,nunc huc nunc illuc vertitur,nec certum stabilire audet. Nam cum prius affirmauerit pleuritidem semper fieri cum vitio aliquo sanguinis,paucis interpositis, ait non modo pleuritidem sed etiam furunculos aut leues cutis defœdationes, sine aliquo vitio humorum quantitatis aut qualitatis,nunquam prouenire. Inuocat experientiam, nouus experimentator. Statim reiecta quantitate ad qualitatem confugit, dicens... Et *præcipuè in pleuritide,in qua sanguis extractus ferè semper est valde putridus.* Sed transeat hæc sartago loquendi,quid tum postea? ergo reuulsio facienda est ex latere opposito in pleuritide? viderit ille. Item fiat ex capite plerunque, vt ait Hyppoc. de loc. in hom. & confirmat Argent. Nec refragatur Theod. Zuing. fluxionem ne in pleuram,v.g. dextrã per venas lateris sinistri delabi affirmabis, non per eas quæ lateri dextro fruuntur? apage. Seca ergo venas (si venæ cauæ communitas tibi sufficit, quando per communes venas reuulsiones faciendas esse probauerim,tota Medicorum schola suffragante) sinistri pedis,si longissimè a fluxione,tentata parte reuellere statuis. Citius enim venæ cauæ, aut saltem non tardius,venæ pedis sinistri reuulsio communicabitur,ac interna cubiti sinistri, vt in Apollogetico contra Scaligerum probaui. Dices Auicennam,ne duas quæramus in reuulsione diametros,præcepisse. Sed quare tu qui autoritatem contemnis, & rationi inniteris,nunc,post habita ratione,autoritati adstipularis? Sed missa isthæc faciamus: pudet enim has quisquilias amplius contrectare. Præterea cum ait,in venis pleuriticorum, fere semper contineri valde putridum sanguinem;toto aberrat cœlo. Quod ratione euidenti probabo sic. Aut humor in venis qui est causa antecedens pleuritidis,quantitate grauat, aut qualitate molestat,aut vtroq; affligit nocumẽto. Quãtitate grauans est sine putrefactione vel aliqua qualitate exorbitãs,hoc est,cũ bilis flauæ aut nigræ,mistione,aut phlegmatis salsi participatione,sanguis coinquinatur, citra tamen vltra debitam proportionẽ. Huic substructuræ præmissæ,addo alteram,quod scilicet alij,humores,præter phlegma salsum,non putreant,sed tantum primis qualitatibus exorbitent. Sic argumentor. Humores in venis vel quilibet eorum possunt irritare naturam sæpissimè, & ab ea moueri ad pleuram & pleuritidem gignere,ipsis minime putrentibus in venis:ergo secundum suppositum falsum,siue plerunque siue semper intelligatur,nam vtrumque ait noster egregius contradictor;more eorum qui ex vna fidelia duos dealbant parietes. Insuper, do tibi,etiã refragante ratione,sanguinem in venis putrere;quid inde nisi fluat? non enim sequitur: humores putridi sunt,ergo fluent necessario in pleuram,ni cæcutias & protervias, vt tuis verbis vtar. Adde quod,cum febris pleuriticorum,sit febris accidens, vt medicæ loquar,non opus est,vt ex humorum putredine accendatur,sufficit enim partis inflãmatio, vt ait Galenus, atque hactenus de secundo infelici supposito. Ad tertium accedo.

At,si non me meus fallit animus,apertis se,suamque sententiam subuertit verbis,nec alio indiget præliatore. Cum enim in præcedente supposito dixerit,plerumque ex capite defluxum humoris in pleuritide incipere; quosnam riuulos, quæret vt optimã faciat reuulsionem? an non eos qui directe parti affectæ communicant? Sed, his relictis, ad contrarios accedet? Fac obsecro, vt ex parte capitis dextra defluat humor ad pleuram, dices ne per venas lateris sinistri in pleuram lateris dextri defluxisse? an per eas quæ in latere dextro? At si per eas quæ in latere sinistro dixeris, omnes stultitias hucusque a Medicis inuentas,hac vltima superabis,ne tibi frigultiendi sit locus:ergo, si rectè sentis, per

Venas

venas dextri lateris defluxus fiet. At cum per easdem venas & defluvus & refluxus fieri debeat; eas quæ in latere dextro, non quæ in sinistro, fructificantur secare oportet. Eadem enim est via ab Atenis ad Tebas, quæ de Tebis ad Atenas: quocirca, cũ hæc ita se habeãt, atque per venam internam lateris e directo oppositi, Galeni & Hippocratis sententia, simul reuellitur & euacuatur sanguis in latere contentus, frustra quæritur pars deriuationi apta. Accedit quod secorditer adduntur verba hæc. *Vanè enim quis congestas in quodam loco aquas exhaurire contenderet, relictis riuulis qui pari impetu ad eundem feruntur locum.* Hæc ille. Sed heus tu ò pulcherrimè Magister, quorsum hæc? in quem nam hæc collimantur tela? in uullum opinor, nisi vt aliquid veri in hoc falso supposito intersereret. Sed vtinam statim non addidisset alia verba, quibus se magis deridendũ præberet, dicens. *Dixerim regulariter, non enim me latet, quod quandoque propter vigentiam subitam morborum cogimur inuerso ordine, causæ coniunctæ subuenire, relicta antecedenti.* Hæc Magister. Verum mecum, precor, tantisper manum conserat dum interrogem, quare fluxu in partem affectam, subito irruente, atque affatim, nullatenus, hoc cohibito causam coniunctam euacuare contendis? an non hoc erit, equo secundis habenis currenti adhibire calcaria? at at, percepi quid diceres, vt scilicet, causæ subenires coniunctæ, citius vt interimeret miserum ægrotantem. Credo Hippocratem iure dicturum: *Nunc vero ægrotis, qui extra culpam sunt, non sufficiens esse appareat violentia morbi, nisi Medici quoque imperitia accedat.* Hoc porrò verum esse manifestè patet. Da, Magister egregiè, corpus plenum. Da etiam cum plenitudine, humores valde concitatos, in pleuram affatim & subito irruentes; nonnè si humorẽ in parte affecta contentũ euacuare tentaueris, causa antecedente contempta; pauci loco extracti, quam plurimũ antecedentis, in eandem irruere facies? Etenim cum thorax ita constitutum sit, vt euacuatio humorum inibi contentorum, non nisi cucurbitula cum scarificatione adhibita, fieri queat; quomodo ex periculosissimo morbo mortalem necessario non efficies? Et quomodo si, vt ais, violentia causæ coniunctæ, perire posset, æger necessario non peribit? Tertio itaque supposito, qui tot quot syllabis, scatet erroribus, relicto, ad quartũ accedere par est Cum ergo triplici causæ triplex proponat auxilium, ita inter se confundit, vt potius Apolinis vates furiosas dixeris audire quam medicinæ professorem. Nam sic inuoluit omnia, & quibusdam inextricabilibus nodis vniuersa perturbat, vt illud plautinorũ literarum optimè adaptari posit; has, præter Sybillam leget nemo. Nec modo hic, verum, & in opere hoc tam longo sine mica salis. Etenim, cum breuissimè, reuulsionis, deriuationis, & euacuationis naturam, vt postea dicemus, explicare posset, ita, verborum profusione, implicat, vt Delio opus sit natatore. Verũ, vt initiũ huic tã implicitæ rei dederim, reuulsio, deriuatio, & euacuatio, exactius interpretatæ, illa ad oppositã siue cõtrariã partẽ remotã, hæc ex eadem parte, deriuatio ex vicinis, siue ex eiusdem partis venis euacuationẽ fieri demõstrant hoc vno animaduerso, quod reuulsio humorum retractionem denotet frictionibus, ligaturis, cucurbitulis non scarificatis, & huiusmodi alijs, ex Galeno. 5. meth. cap. 3. vt statim dicemus. Ad suppositum ergo. Quocirca miror magnopere Magistrum sic dicentem; *Quod veluti euacuatio respicit directè, causam coniunctam, quæ per partem affectam euacuari nequit*, vel *illam portionem causæ antecedentis quæ in venis & locis proximis ad partem affectam est, & inde minatur breuẽ & proximum casum in partem affectam.* Hæc ille. Dicat nobis, quæso, vt qui tardi, atque cæcutientes simus, quid sibi vult cum ait. *Causam coniunctam per partem affectam euacuari non posse? vel partem antecedentem quæ proximum casum in partem affectam minatur?* Si dixerit, illam quæ iam phlegmonem, actu, constituit; non nisi per euacuationem, vel sensibilem, vel sensum effugientem euacuatur, vt ait Galenus, euacuari posse, respondebo. At si hoc ita est, vt certissimè est; quomodo tu, hanc per partem affectam, euacuari non posse asseris, sine rubore redargutionis? Si autem portionem, dicas, causæ antecedentis quæ in venis & locis proximis parti affectæ, quare cur per proxima loca deriuare iubes, cum per distantiora, simul reuellere & euacuare posses? Sed Deum immortalem quid respondet? *Proxima loca, ait, esse venam brachij e directo respondentem.* Ah Corydon Coridon

quæ te dementia cœpit? quare ſic temere verborum, tam Græcorum quam Latinorum ſignificationem ſubuertis? Audi Galenum iterum atque iterum. 2. de rat. vict. in acu. tx. 10. *Pro eorum, ait, qui inflammationem pariunt, humorum vergentia inclinationeque, vacuationes facit Hippocrates: nempè, quod dicitur, eo ducere, id veriſsimum exiſtit. Contingit autem interdum id ob differentiam partium eius, quæ coſtas ſuccingit, membranæ, nempè, ſuperiores ipſius partes. cum inflammātur, ad clauiculam, brachium, & mammas, condolentiam extendunt: interiores vero ad ſeptum tranſuerſum & Hypochondrium. Cum igitur ſuperiorum condolentia ſignum fecerit, venam in cubito ſecare eam oportet, quæ ſanguinē ab affecta parte, & magis, & velocius, tum reuellere, tum vacuare poßit.* Hæc Galenus. Quid igitur reſpondebunt iſti deriuatores? An non Galenus in principio ipſius pleuritidis, nullaque præmiſſa euacuatione, imò poſt attractionem fomentis factam; venam quæ velocius & magis ab affecta parte ſanguinem reuellat & euacuet, ſecat? Nec vertentium culpa id factum eſſe, dicere, quicquam iuuabit: nam Græce ſic legitur. φλέβα χρη τέμνειν εν ἀγχῶνι τὴν μᾶλλον τε και θαττον ἀπὸ τοῦ πεπονθότος μορίου δυναμένην ἀντισπάσαι τε και κενῶσαι τοαιμα. At dices venam ſecare iubet Galenus, non tamen ex quo latere ſit ſecanda explicat, Audi Galenum eodem commento ſic loquentem. *Secare igitur hanc iubet Hippocrates (baſilicam. S.) prius quam venæ, quæ ex humerariæ fiſura prouenit præſens ſit inſeraturque. Quæ ſi aliquando non comparuerit. vice huius ſecamus aliquam ex internis quas, κατ᾽ ἴξιν, in os cubiti deferri didicimus. Quod ſi & ea non comparuerit, accedimus ad eam, quæ ex præfatarum duarum venarum obliquarū inſitione progignitur Verum, & cum ea interdum non apparere poßit, humeraria apparente, ſeca humerariam: qui ſcilicet vacuationes ab vniuerſo animalinm corpore fieri noueris, quanquam nec celeriter, nec ſimiliter, ex vena omni fiant: nos vero partem eam quæ phlegmone obſidetur, cū celeriter, tum quam cæteras partes magis, in acutis præſertim morbis vacuare contendimus. Quod ſanè interna cubiti vena facit, multoque magis, vbi ſanguinis redundantia ad ſuperiora vergere videatur, aut ſuperiores thoracis partes affectæ ſint.* Hæc ille. Ex hac &ſi longiuſcula, verborum ſerie, manifeſtē deducitur, tum venam e regione laborantis lateris poſitam ſcindendam eſſe, tum eas quæ, eius loco, ea non apparente, per rectitudinem tamen ſecare conueniat: tum etiam, quamuis ſanguis ab inferioribus ad ſuperiora repat, etiam præſente ſanguinis redundantia. Tum ſupra hæc, quod rectitudinem venarum, non humorum (vt quēdam honorarium arbitrum ſomniaſſe comperio, ſed vltro, nullo litigatorum ſuffragio, ſe ſe offerente) commendet. Deducitur denique, quod &ſi omnes venæ, notatu dignæ, ex toto corpore euacuare poſsint, non tamen celeriter, nec ſimiliter: ex omni vena fieri; quòd in acutis morbis Galenus optat atque commendat, & merito ſanè. Nā cum morbus acutus, qualis pleuritis, periculum citæ mortis minetur, niſi cito ſubueniatur ægroto, citiſsimè remedia adhibenda eſſe neceſſe eſt omnino. Hæc, credo, ſi Galenus nūc reſurrexiſſet: magna voce ſonaret, manuque tota. Sed vereor ne, vt cæci, etiam cum honorario arbitro, ſurdi quoq; ſimus; ſed quid ſi naſutus aliquis illud hexaſticon nobis obijciat? ſcilicet,

*Lis agitur, ſurduſq; reus, ſurdus fuit actor:*
*Ipſe tamē iudex ſurdus vtroq; magis.*
*Pro ædibus hic petit æs, quinto iam menſe peracto;*
*Ille reddit tota nocte mihi acta mola eſt.*
*Aſpicit hos iudex, & quid contenditis? inquit;*
*An non vtrique eſt mater? vtrique a lite.*

Sed redeo ad penſum. Porro, vt a primo incipiam, quod Galenus, cum de reuulſione quæ cum ſanguinis miſsione per venæ ſectionem, fit, venas quæ directo laborantis lateris, ſemper & vbiq; eligere ſuadeat, in alijs apoſtematis, ac præcipue in pleuritide, nuſquā tamē deriuationis meminerit; ſupereſt ergo, vt quod de ea, argutator, ſomniauit, merū figmētū, meraq; chimera ſit. Legiſtin Galeni enarrationē in. 10. t. 2. de vict. acu. an non inibi, per eiuſdē laborantis lateris, venam, ſimul reuellere & euacuare ſanguinē ex phlegmone obſeſſa parte, intellexiſti? & quomodo etiā eūdē Gale. lib. de ſan. miſ. c. 15. &

16. vbi

16.vbide sanguinis eruptione agit,vel de alijs affectibus,quibus reuulsionis causa sanguinis missione opus est semper venas, κατα ἰξιν,respõdêtes scindere suadêtẽ,nõ intellexisti etiã? quin si ea quæ Galenus ca.16.sequenti,de curatione pleuritidis,per sanguinis missionem dederiuatione,non de reuulsione, intelligenda contendis , obstinatissimo , peruersissimoque animo,te ipsum prodere,quilibet sanæ mentis iudicabit. Nam cum de nullo alio quam de reuulsu per sanguinis missionem facto,inibi agat:quo modo,autquo forcipe eũ ad deriuationem trahes? Certé , nisi tœdio lectores afficere vrerer, omnia Galeni verba huc transferrem,Cæterum cum veritatem propallare , non chartas inaniter consumere animus sit;transcribere supersedeo. Huc accedit,quod cum nouus deriuator,locum Galeni.5. metho. capit,3. tormentis agitare, non desinat, nobisque, ipsumnon intelligens,negocium facessat ; huc transcribete operæ precium,credo,fuerit,cuius verbasunt (postquam de humorum auersione, quæ vel deriuatione, vel reuulsione fit,egit.) hæc. *Eandem ob causam,cum enaribus sanguis erumpit ipsum retinent , maximè in præcordijs defixe cucurbitæ Infiguntur autem,si ex dextera nare profluit, superiecinore sin ex sinistra,super liene;si ab vtraque nare super vtroque sunt imponendæ viscere . Quod si resolutus adhuc æger non sit,etiam vena ex eo cubito incidenda est , qui profusioni è directo respondeat vbi paulum detraxeris,mox vnam horam intermittens,iterum detrahes; post iterum atque iterum prolaborantis viribus. Ad hunc modum & reliquas omnes fluxiones: (quippe communis ratio est) tum ad contraria reuocabis,tum per vicina deriuabis , vtique quæ per aluum fluunt,ea vel per vrinas, vel per vterum transmittens:quæ vero per vrinas,ea vel per vterum, vel per sedem tranferens. Parimodo quæ per vterum erumpunt, vel per vrinas vel per aluum. Quæ vero in oculis aure vel palato fluxiones accidunt, eorũ ad vicina deriuatio per nares est. Reuulsio vero in his quæ supra sunt omnibus deorsum semper agitur,sursum in his quæ sunt infra. Præterea à dextris ad sinistra,sicut ab ijs rursus ad illa:similiter ab ijs quæ intus habentur ad ea quæ foris sunt,contraque ab ijs ad illa. Ergo frictio contrapositæ partis,potissimum per ea medicamenta,quæ calefaciant;præterea vincula valentius adducta,ijs quæ ad contrarium reuocant,remedijs sunt adnumeranda. Non secus profecto & naturalium meatuum,qui positi ex aduerso sunt reclusio.* Hæc Galenus. Cum itaque curationem,quæ sanguinis narium eruptioni debetur, Galenus instituat;sanguinemque reuulsionis gratia,vena secta ex manu directè respondente mittat,superest,vt in somnium de deriuatione,vt reliqua in somnia, falsissimum sit. Sed videre videor mihi Magistrum insilientem,magnaque voce,manuque tota,vt solet in conclusionibus,vociferãtem,quare tu Medicæ Græcalis(sic enim me vocat)quod ego negauerã pro confesso,assummis?illa enim, ex eodem latere,sanguinis missio deriuationis, non reuulsionis gratia,fit. At amice,submitte tantisper vocem, pacatoque animo audi. Si Galenus, fluxui,qui in oculis,aure,vel palato, deriuationem,per nares,comendat,ei qui per nares procedit,palatum pro deriuatione comendet,necesse est omnino. Adde pro optimo embammate,quod Galenus l.de sang.miss.ca.15.dixerit. *Porro,si reuulsionis causa, venam sceces,indirectè quidem oppositis sanguinis eruptionibus, citissimè conspicuam videbis vtilitatem.at si contra seces,nil profuerit.* Hæc Galenus,fluxum sanguinis narium etiam inibi curans. Sic enim ait. *Sed reuulsio,quibus indirectum adhibetur, euidentem vtilitatem celeriter ostendit:quibus cõtra haud etiam. Dextra igitur nare sanguis erũpens ad dextrum hypochondrium fixa cucurbitula,clare celeriterque fistitur,sicut ad sinistrum, ex sinistra erumpens.* Quid igitur?herbam ne dabit argutator, an erecta & renitente ceruice, victoriam sibi canet ? cui ego, ò bone , cum aqua fauces strangulet, quid adhuc deglutire tentas?quare fit,vt cum in sanguinis narium eruptionibus,hanc pro distantissima,venam eligit,a fortiori vt aiunt, in pleuritide comendabit, edirecto laborantis lateris,vbi maior multo est distantia.ergo cum Galenus,ad distantissima , reuulsiones faciendas esse præcipit,non statim tumultuarie , lateris contrarij venas aperire oportet, vt in apologetico probauimus.l. de trem. *Alia enim alij corporis parti, vena comunicat:*

*nicat: oporteatq; vacuationes semper a communibus moliri. Nam si venas quæ nihil parti affectæ communicant, incideris, nec affectæ medeberis, & sanam semper offendes.* Hunc Galeni locũ deriuator, aut nõ vidit, aut nõ intellexit, aut veritatẽ fugiẽs, malitiose subticuit: an ignorauit Galenus venæ cauæ cõmunitatẽ? nugæ. Ignorauit etiã ex vena qualibet notatu digna, totũ sanguinẽ exhauriri posse, vt deriuator irridẽdi, inde ansa arrepta, fere ad insaniã deuenerit, adeo vt cũ vetulis, colus philosophias iactare nõ erubuerit? at, tu, qui cum rudissimis vetulis philosopharis, nosti ne cuilibet viuenti, siue plantæ, seu animali, quatuor esse virtutes naturales, quibus & attrahunt & retinẽt, & concoqunt familiare alimentum, expelluntque recrementa? quid mirum? Sed neque ignorare decet Hippocratis documentum, quo scilicet Medico iubetur, né cum imperitis multa fabuletur, sed necessaria, sed ad rem. Cum itaque retentrix virtus in qualibet corporis parte sit, qua sanguinem, vt eo nutriatur, retineat, ipsum nunquam ad aliam, vel alias detrudet, nisi quantitate grauauerit, aut qualitate molestauerit, Cum vero in parte corporis dextra, v. gra. hæc adsint, nõ per vasa partis sinistræ, quin potius per ea quæ dextræ sunt, detrudat necesse est omnino: humoribus qui in sinistra sunt, quietis manentibus. Quid ni? cum virtus retẽtrix tunc operetur? Nam si etiam in sinistra parte eadem vrgeat necessitas, id ipsum euenire, quis ibit inficias? Cæterum, cum vena notatu digna rumpitur, si magna sanguinis copia exire permittitur, sic vt virtutes, præsertim retentrix, collabantur, totũ exire sanguinem dubium non est. Vbi vero, vt semper fit, moderate detrahitur, id nunquam euenire, quis dubitat? proinde, cum in pleuritide pro reuulsione sanguinem mittimus, venas e directo parti affectæ respondentibus, eum extrahere, ægrotos curare est, contrarium vero hos iugulare, Omitto, quod præter vasorum communitatem, quam in Apologetico descripsi, tot dextrum a sinistro, thoracis latere separent repagula, vt hæc contemnere, nihil a delirio differat. Insuper Anatomẽ quam pro huius veritatis confirmatione ibi descripsi, vt venarum communitatem ostenderem, ita despexit, ac si nihil ad rem. Sed audi pertinacissimé deriuator, iterum atque iterum; axillaris postquam a thoracis cauitate exierit, in tres finditur ramos, thoracicam scilicet, basilicam, & cephalicam, vt in apologetico diximus; quorum diuaricationem, ac mutuam, internorum cum externis, tum in sitionem, tum vero anastomosin quam inibi descripsimus, iterum legito: vt si non intellexisti, intelligas, & inuenies, quot dextra a sinistris discludantur repagulis, atque quanta, in quolibet latere interna cum externis cõmunicatio fit. Intelliges profecto quam pueriliter erraueris, a dextris ad sinistra, in pleuritide, reuulsionem commendans. Item, quam proterue, reuulsionem ab intimis ad extima, sanguinis missione non fieri contendas. Legito etiam quæ in libro de peste diximus, cap. de sanguin. missio. vbi authoritatibus rationibusque hanc tuã inuenies reprobatam sententiam. Sed vt aiunt, omnia quæ ignorat putat aspernanda bubulcus, sed nec alias rationes in apologetico scriptas dissoluere tentat, cui sola venæ cauæ sufficit communitas, at si hæc sola sufficit, quorsum tot tantaque, de venarum communitate, scripta documenta? Etenim nullum Græcorum, Arabum, Latinorum veterum atque Neotericorum Medicum, qui hanc non commendauerit, inuenire licet. Sed aliquas quas soluere aggreditur videamus quam feliciter. Cum igitur, cum medicinæ expertibus philosophis, & vtinam non mulierculis, vt illi mos est, falsam vomuisset medicinam, ipsique & eius rationibus acquiescerent, suamque tantopere proclamatam, in pleuritide deriuationem, facta prius reuulsione, quam nunquam Galenus somniauit, vt huc vsque probaui, statim ait; Hãc nostram sententiam tenuit expresse Galenus, saltem quoad pleuritidem incipientem. l. de cu. ra. per sang. miss. cap. 19. dicens. *Quibus autem eximie pars quæpiam, vbi prius euacuati non fuerint infestetur: haud æque liceat ex quauis parte euacuationem moliri: verum veluti in ijs qui pati iam occipiunt.* Hæc ille. Sed attendite, obsecro, quam infert consequentiam: dictum supra pro maiori, sic in minori ait. *Sed planum est apud Galenum, præcautionis gratia, non debere mitti sanguinem in hijs quibus eximia lateralis pars affici solet, ab eodem latere: ergo nec dum incipit iam affectus, debet emitti sanguis, sed ab illa parte a qua imminenti pleuritide extrahere. tur.* Hæc illæ, tam falsis, quam barbaris verbis. Dic nobis eximiè reuulsor, vt sic loquar, quomodo reuulsionem ab eodem latere, non posse fieri. ex Galeno deducis? an

non

non manifestissimis verbis, contrarium asseruisse hucusque probaui? hoc tamen vno excepto, quod non similiter, vt illo tum Galeni sententia probabo, morbo præsente, ac imminente, reuulsio facienda sit. Galenus itaque .1. de natu. human. tx. 9. sic ait. *Quod vero non explicuit, an à dolentibus partibus, procul reuelli influentes humores præcipiat, an sanitatis tempore hoc nomine si reprehendendus. Equidem de valentibus potius dictũ censeo, assuefacere vellit, exundantes humores, in alia membra fluere.* Hæc ille. Hæc si attente legeris, Galenum per Galenum, explicare comperies non vero eum per eundẽ tortura præmere, tuo more. Cum itaque, v. g. latus dextrum, certis quibusdam temporibus, pleuritide agitari soleat, tunc sanitatis tẽpore, venam, oppositi lateris, secare, vtillissimum erit. Hæc vero, vt Galenus, ait, vt aliò naturam humores mittere assuefaciamus. Iam tamen, patientibus partibus nullo modo; imo, vt ait, ab ea parte seu vena, quæ magis & velocius, sanguinem ab affecta parte, tum reuellere, tum vacuare possit: hoc est, venam non oppositi, quin potius e directo laborantis lateris respondentem; vt inibi Galenus ait, rationemque redens Galenus, sic vt prius diximus ait. *Verum & cum ea (media scilicet) interdum non apparere posit, humeraria apparere possit seca humerariam: qui scilicet vacuationes, ab vniuerso animalium corpore fieri noueris, quanquam nec celeriter, neque similiter, ex vena omni fiant. Nos vero partem eam, quæ phlegmone obsidetur, tum celeriter, tum quam cæteras partes magis, in acutis præsertim morbis, vacuare contendimus. Quod sane interna cubiti vena facit, multoque magis, vbi sanguinis redundantia ad superiora vergere videatur, aut superiores thoracis partes affectæ sint.* Hæc iterum atque iterum scribere oportuit, vt animos obstinatos, si fieri posset, veritati obedire, propellerem. Nam vt ait Galenus, nulla tinctura adeo ineluibiliter imbuitur, vt affectio ad vitiosa dogmata citra ratiocinationem. Quare, δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν, quànam fugam inueniet nouissimus deriuator, qui sic tenaci tenetur visco?

At vero post Barbaram, & futilem rationem falsum mihi inurere testimonium, vt inde gloriolam sibi arroget vanam veritus non est. Sic enim ait. *Adsunt tamen iam apologizantes; quibus nos aliquando publicè disputantes, prædicta obiecimus Galeni verba, qui soluere argumentum existimantes, dicunt, ibi loquutum fuisse Galenum de morbis chronicis. in quibus videtur exemplificasse prædictam sententiam statim, dum dicit. Quamobrem, Podacricos ex cubito euacuato, commitialibus vero morbis, vertiginibusque obnoxios potius ex cruribus* Papè dicam? dico cum Ouidio.

*Risit Athlantiades, & me mihi perfide prodis?*

*Me mihi prodis? ait.*

Magister eggregie, quando, aut vbinam, mecum disputans, hæc obiecisti? putabam quippè te dignum esse, qui cum in tenebris micare possem; sed hinc iam testibus opus esse necesse est omnino. Etenim, rectè memini, præteritis diebus, dum publicè, pro hac sententia, ne dicam delirio disputares, teque a doctissimis viris obiurgari cernerem, te patrocinans, aliquot strenuos Medicos qui han sequerentur opinionem adduxisse. Sed in parergò dicta sunto. Ad rem igitur pergit Magister, & suam barbaram atque explosam sententiam proteruè ac mordicus tenens, ait, me asseruisse, reuulsionem, a supernis ad inferna esse impossibilem. Verum, ne an falsum dixeris, lectores omnes Iudices constituo. Etenim inutiles pleuritidi esse, certó scio, me asseruisse. Quin etiam aliquando nocere, quod vires scilicet, citra morbi leuamen, deijciãt atque exoluant, vt ait Galenus. Præterea, cum me falsis lacessere testimonijs, non desinat, quæ sua est humanitas, sic statim loquitur. *Quod probatur vlterius euidenter, reuulsionem ab infernis ad superna, & è contra a dextris ad sinistra, & è contra, renuistis propter defectum communitatis ad partem affectam: quia defectu huius communitatis impossibilem censuistis euadere reulsionem hanc, vel saltem non negabitis esse minus efficacem: ergo etiam in morbis chronicis incipientibus reuulsio a partibus & vasibus quæ communitatem non habent, qualem negatis adesse a supernis ad inferna & a dextris ad sinistra, & è contra, est inutilior & inefficacior, quã quæ*

*nis alia quæ secundum communitatem fieret, etiam in morbis longis.* Hæc sunt arguta toris ipsissima verba. Sed ante quam male dispositæ argumentationis solutionem appingam, falsa testimonia aduertam; primum, quod scilicet imposibilem affirmauerim reuulsionem a superis ad ima, & ab his ad illa: similiter a dextris ad sinistra, contraque ab ijs ad illa. Quod quam falsum sit, quilibet, vel lippientibus oculis, videre potest. Nam si venæ cauæ distributionem versus partem superiorem, vtrinque factam, descripsi; eandem cum venis vtriusque lateris pariter communitatem habere affirmaui. Nam si minus efficacem reuulsionem affirmauerim, quæ ab opposito latere fit, ea quæ e directo, nunc non quomodolibet minus, quin etiam adeo minus, vt pro nihilo cum Galeno habere aut reputare non recusem, vt supra dixi. Sed dicito, optime calumniator, vbi nam communicationem a superis ad ima, & e conuerso, me negasse legisti? dummodo seruetur rectitudo dextrorum cum dextris, & sinistrorum cum sinistris. Præterea rationis falsitatem sic ostendo. Si Galeni locus non limitaretur, vera esset; at limitatur ab ipso Galeno, vt supra citaui. 2. de nat. huma. tx. 9. ergo falsa ratio. Sed hic chartarum prodigus consumptor fingit inimicum quem feriat, vt probaui & vlterius probabo: nam aliquot interpositis lineis, sic ait. *Facetum tamen est quod insuper in solutione dicitis, quod quia longi morbi sunt securiores, possumus in eis, & iubet Galenus fieri reuulsionem a distantissimis partibus, quasi ex securitate morbi, & si minus noceret error, commendandum tamen esset auxilium incommodius & minus efficax relicto efficaciori & commodiori.* Hæc ille, tam false quam barbare. Sed mea ipsa verba scribere iubet, vt manifestem quam hostili maleuoloque animo ea legerit argutator. Galenus inibi, non de morbis acutis, quin de chronicis agit, veluti podraga, vertigine, commitialibusque morbis: quibus non tanta sequitur virium iactura nec oportet toties sanguinem mittere, imo sæpe in his ægritudinibus semel extraxisse sufficit, plenitudinis tantum deponendæ gratia, hucusque ego. Quin vt humores alio tendere assuescant, vt ait Galenus. Vere etenim, qui illis æstiuo tempore, morbis laborare solent, præcautionis gratia, iubente Galeno, præeuacuandi sunt; qui non his modo, verum quibuslibet, modo multo ante tempore præcautio fiat: præsentibus vero morbis acutis non sic, sed multo aliter, & vt docet Galenus & vniuersa Medicorum Græcorum, & Latinorum schola, dempta Barbarorum colluuie, propter rationes supra allatas, quas legisse præstitisset, ante quam hæc effutirentur. Lege Magister strenue Cornelium Celsum, sic dicentem. *Neque ignoro quosdam dicere, quam longissime sanguinem inde, vbi lædit, esse mittendum: sic enim auerti materiæ cursum; at illo modo in id ipsum quod grauat, euocari. Sed ipsum falsum est: proximum enim locum primo exhaurit. Ex vlterioribus autem, ea tenus sanguis sequitur, quatenus emittitur, vbi his suppressus est, quia non trahitur ne venit quidem.* Hæc ille. Ex his colliges hanc tuam, Barbarorumque sententiam, multo ante Galeni temporibus explosam fuisse. At quis sanæ mentis, hunc argumentatorem non irrideat? qui postquam Galeni transcripserit verba quæ sequuntur, tx. de venæ sec. aduer. erasist. rationem, quam postea referam, subtexuit. *Illi quidem, ait Galenus, istud, medius fidius, suffecerit, quandoquidem cum ijs loco reuulsiui remedij vtendum censeret, non intellexit venæ sectionem, in reuellendo, esse efficatiorem.* Hæc Galenus: en Magistri argutia, ergo reuulsio illa ex opposito latere, quæ dedit per frictiones, multo melius cedet per sanguinis missionem, cum hæc in reuellendo sit efficacior. *Nec obest, quod vltro vires deijciat, si etiam plus reuellit, hoc enim in sanguine mittendo periculum, semper currit respectu aliorum auxiliorum minorum, non tamen inde reijcitur ab arte, quia est vlterioris efficaciæ. ergo minus in nostro proposito potest inde damnari.* Hæc ille. Sed vt a primo, *Ergo*, Magistri incipiam, quam tumultuariæ, atque inconsiderate id deducat, quis non videt? Etenim, si dictum Galeni 2. reg. acu. tx. 10. præuidisset, nequaquam sic præcipitaretur: nam in pleuritidis curatione venam illam secare docet in cubito quæ ab affecta parte & magis & velocius, tum reuellere, tum euacuare possit. At videor mihi videre nostrum argumentatorem exultantem, ac proclamantem victoriæ brabeum sibi arripere. At nouissime deriuator, siste gradũ quæso, an ignoras, inibi,

Galenum

Galenum asseruisse, venam edirecto laborantis lateris esse scindendam: quoniam in morbis acutis, quod magis & velocius de affecta phlegmone parte sanguinem reuellere & euacuare posit, ergo assertio tua falsa ac periculosa. Item confirmatio periculosa est cum ait. *Neque obest quod vltro vires deijciat, si etiam plus reuellit.* Fac argutator strenuê, argumentatiunculam hoc modo. Sanguinis missio ex latere opposito plus reuellit a patiente parte quam quoduis aliud reuellens auxilium, absque sanguinis missione factum; nec obest quod vltro vires deijciat, si plus reuellit: ergo plus reuellit quam facta ex eodem latere? Tu videris. At Magister doce me, amabo vnde nam hanc argumentandiformulam deduxeris, in qua ab angulo ad parietem consequentiam inferat. At dices, talem minime te intulisse, quinimo plus reuellit quam quæuis alia ex latere opposito facta. Bené, sed quorsum? do tibi sanguinis missionem potius reuellere quam frictiones dolorificæ ligaturæ, atque huiusmodi alia præsidia: at etiam si te ruperis, nunquam efficies, vt ex Galeno deducas, magis reuellere sanguinis missiones ex opposito latere, quam ex eodem. Præterea ais. *Nec obest quod vltro vires deijciat, si plus reuellit.* Bone Deus, quid audio? siccine de alieno corio lata secare, lora non pertimescis? permittuntur enim frictiones & alia huiusmodi auxilia, & si minus iuuantia, quoniam vires non deijciunt at sanguinis missio ex opposito latere, aliorũ auxiliorum loco non est admittenda. Quo posito, corruit secundum, *Ergo*, cum ait; *Ergo minus nostro proposito potest inde damnari.* Quo proposito? Deinde ait. *Et quidem non leui risu dignum est, quod mediastinum thoracem diuidens, volunt sui interpositione, impedire reuulsionem humoris per sanguinis missiõe ab opposito latere, & quod non impediat eandem reuulsionem, & transmittunt humores vocati, & reuulsi lenrius perfrictiones & ligationes:* Cui ego, sed non leui irrisu dignum est, quod suffenus noster fingat inimicum, toties, quem feriat. Nam dic cauilator strenuè, est nè bonum consequium: hoc impedit, ergo omnino impedit? iudica tu, argutator argute. Admittuntur fristiones, ligaturæ vincula valentius adducta, & naturalium meatum, qui positi ex aduerso sunt reclusio: quia, & si minus reuellunt, vires tamẽ non deijciunt; nam quæ possunt prodesse & non obesse non sunt obmittenda. Sanguinis vero missio ex latere opposito, quia quanuis aliquid plus quam prædicta auxilia prodesse posit, quia nocumentum non leue afferre certum est, optima ratione reprobatur. Nã cum vires deijciat atque exoluat, citra morbi leuamen, necessario quod ad se attinet, reuulsionem quæ magis & velocius phlegmone obsessa parte humorem, reuellere & vacuare posit eligere necesse est, hoc docente Galeno, quem tu meum appellas, & merito sané: nam tuum, an dicere ausim nescio, Nam cum te in eius scriptis parum versatum agnoscam, nil mirum si tuum esse, asserere formidem, veruntamen omnes medicinæ studiosos, huius Apollinis monumẽta, diurna, nocturnaq; versare manu non desinant moneo, si consummati cupiunt esse Medici, alias laterem lauare est. At non irrisu, sed ex ibilatione dignum est, quod post prædicta verba subtexuit: quærit enim, si aliquo in thorace vase, rupto propter sanguinis copiã sanguinisque superueniat fluor. an cum frictiones & huiusmodi alia præsidia admittamus, reuellendi gratia, sanguinem mittemus etiam ex opposito latere, an potius ex eodẽ? Quo quæsito posito, sic ait. *Galenus quidem nec alius cordatus vir, non auderet ex eodem, imo nec huius opinionis autores, & si sint quomodocumque satis tenaces propositi viri, & duri corde. Pudeat igitur dicere, reuulsionem per oppositum latus sanguine misso esse impossibilem.* Hæc ille, tam invrbane quam barbare: sed caueat obsecro ne audaculus aliquis dicat illud Salomonis, In ore stulti baculus contumeliæ. Ad rem ergo. Itaque cum Galenus in præsenti affectu sanguinem, basylica incisa, mittere suadeat, nec ex qua parte venæ sectio facienda sit expresserit, an scilicet ex opposito, an vero coniuncto latere fieri debeat, omnes autores quos hucusque uidere contigit, eadem incesisse via cõperio. Cæterum, & si Galenus. 5. metho. c. 8. non expresserit. 13. tamen eiusdẽ non tacuit, sic scribens. *Satius igitur sit, vbi partes quæ in ore sunt, phlegmonem accersere incipiant deriuare ad nares. pari modo venam quoque, vbi hæ partes sic laborant incidere humera-*

*lem*

*lem in manu,si ea non cernitur mediam: vbi iecur, pectus, pulmo, aut cor sic afficiuntur internam: in angina, quam synanchen Græce vocant primas in manibus, secundas eas quæ sub lingua habentur. At ijs quæ in occipite sunt, afflictis, etiã eã quæ in cubito est: nec non eam quæ habetur in fronte. Renibus vero, & vesica, & pudendo, & vtero sic habentibus, eas quæ in cruribus sunt sitæ; ac potissimum, quæ circa poplitem sunt: sin minus eas quæ iuxta maleolos: ac perpetuo quidem in omnibus eam, quæ edirecto est, vbi iecur phlegmone inuadit, quæ in dextra sunt manu, vbi lienem contra.* Quærat ergo diuerticula deriuator nouissimus. Nouissimum appello, ne glorietur quasi huius ridiculi delirij, primum se inuentorem obtruserit, cum multo ante ab alijs delirantibus dictum fuerit. Audebitne Magister discipulos peruertere, falso dogmate imbutos? nec non & ipse peruerse Galenũ interpretans, intelligensque, ægrotantes, vel occidere, vel in discrimen virtutis lapsus eos conijcere? Audebit nimirum, cum venam cubiti, lateris contrãrij, scindendam esse, affirmet infirmissima eius autoritas. Et quod magis miremur, nec Galenum, nec aliquem cordatũ virum, nec etiam nos aliter mederi (se ita volente) audeamus, quasi ex tripode legem promulgans, quam ergo opinionem sequitur Magister communis? an Auicenæ quando illac non successit: audiat Auicenam sic loquentem. *Cum vero eius a regimine cibi eius, est vt succurratur ad phlebotomandam basylicam partis in qua existimatur esse resolutio singularis, subtilem faciendo phlebotomiam: & accipiatur sanguis in expulsionibus, inter quas sunt tres horæ quasi ipse sit conseruatio virtutis.* Hæc Auicena. Pudeat igitur Magistrum in eodem spurcissimo volutari cœno, cataphoramque discutiat profundissimam, vt veritatem agnoscat. Si enim pleuritidis & sanguinis ex thorace reiectatio pari passu, te ipso vltro confitente, incedunt: & Auicena, relictis illis ambagibus quibus in pleuritidis curatione vsus est, venam eiusdem patientis lateris secare non veretur; multo minus in pleuritide vereatur, necesse est. Patet, cum promptius & facilius, sanguis in eiusdem profluuio, consecutione ad id quod vacuatur, te ipso asserente, ad partem affectam trahetur, quam in pleuritide tantum apostema constituens. At non trahitur, quinimo reuellitur, vt hucusque probaui: ergo tua similiter, ac Arabum, Barbarorumque sententia, detestanda veniet. Nec te illis appellationibus, quas crudelissime tormentis premis, maceres cum ijs (vt Auicenam abs calumnia defendas.) *Ex quibus inuenietis, quod, ly, post, in prædictis verbis non appellat supra aliquot dies, post factam reuulsionem ex saphena, basylica, & nigra peractos, qui intercidant inter finem reuulsionis peractæ & principium deriuationis futuræ, sed potius appellat, supra dies in quibus fuit facta reuulsio. Ita quod sensusit, deinde post illos dies reuulsionis, in quibus scilicet reuulsio facta est, ex latere conueniente, in latitudine, deriuabis statim, immediate, & nullo interposito tempore: si vrget affectus, nec notabiliter sit ex reuulsione remissus.* Hæc tu Magister egregiè, quæ cũ considero, satis nequeo dolere sortem tuam, vt qui in re adeo manifesta, vt vel tirunculum Grammaticum non lateat, sic hallucineris. Nam Auicenæ litera sic legitur: *Deinde post aliquot dies ex latere conuenienti in latitudine.* At Iacobo, de partibus, locum interpretante, aliter multo se res habet, cum tres vel quatuor interponendos dies post factam reuulsionem interpretetur: sed age interpres optimè, sit immediate post factã reuulsionem, etiam refragante ratione, si reuulsionis conditiones seruare debes, cum Galeno & Aetio, cum tantũ reuellere cupis, non quotidie venam scindes, quinimo, tertio quoque die, quod minimum est, scindes. Quo fit vt non minus quam quinque dierum iactura fiat, ante tuam somniatam deriuationem, etiam si in principio principiante, vt vos dicitis, accesseris. Sed quid si tertio vel quarto die, vt sæpe fit, accedas? an non Auicenæ mera deliria atque figmenta sunt hæc? etiam ne hæc qui defendit, in somniaque de appellationibus sibi fingit, magis delirare dicemus? quid ni? Mitto, quod, vt hucusque probaui, ex eodem latere affecto, & magis & velocius sanguine misso, reuulsio atque euacuatio ab obsessa phlegmonae parte fiat. At quamuis hæc ita se habeant ac cuiuis cordato viro sufficere possent, vt mentis oculis apertis, veritatem aspiceret, adhuc nos, pertinacissimus deriuator, suis in somnijs vrgere non desistit, locum Galeni deprauans, ex lib. 13. meth. ca. [illegible]

sic habet

ſic habet. *Curās hepatis inflammationē: ergo pariter tum reuellendus, tum educēdus, qui ad iecur fluit ſanguis, interna in dextro cubito ſecta vena, propterea quod, & è regione & ampla via, cum vena quæ caua dicitur, habet ſocietatem.* Quo cum ſe irretitum ſentiret, fugam ſibi cauit, ſæpiarum more; quæ cum ſe retibus comprehenſas ſentiant, attramentum effundunt, vt inde, aqua turbata, prolabantur. Tamen id, non eſt ex cathedra, quicquid venerit in buccam effutire. Sic enim ſcripſit. *Dixerimus enim, Galenum in prædictis verbis, duplicis euacuationis mentionem feciſſe, dixit enim, reuellendus, tum educendus, &c. Nec per eductionem poſterius poſitam debere intelligi eandem reuulſionem primo dictam; aliàs fruſtra multipli carentur hæc verba: & quod faciens Galenus mentionem duplicis modi euacuationis, reuulſionis, ſcilicet, & deriuationis, deriuationē poſuit poſterius, & ſecundo loco. Et quod cum conſequenter ſignat venam, per quam fiat, debemus neceſſario intelligere ſignaſſe illā pro deriuatione non pro reuulſione commoda.* Hæc cathedrarius medicus. Quo circa, cum Galenus inibi, incipientem hepatis phlegmonem curare doceat; vireſque pro ſanguine mittendo, requirat; ætatemque conſideret, ſtatim nulla alia interpoſita ſententia, in prædicta prorupit verba, & quomodo, ſi curans, in principio phlegmonē, ac prius reuulſionem commendat, atque hanc cum euacuatione, nulla facta deriuationis mentione, vis tu, deriuationem intrudere, & reuulſionem ex trudere? quod hoc ita ſit, probatur, ſententia Geleni Græcé prolata quæ ſic habet, αντισπαςτεον ουν ἅμα, και κενωτέον το φερομενον επι τό ηπαρ αιμα τῆ φλεβοτομία κατα τον δεξιον αγκῶνα την ενδον φλεβα τέμνοντες. Habet enim ibi: κενωτέον, hoc eſt, euacuandus, nō παραχετευομενον, hoc eſt deriuandus. Quod etiam dixit, vt notauimus. 2. de vi. acut. tex. 10. vbi ſanguinis miſsione, interna incubito è directo ſecta vena, facta, & magis & velocius ab affecta parte, humorem tum reuellere, tum vacuare poſſe, affirmat. Mitto quod noſter ardelio dixerit, Galenum duplicis vacuationis ibi mētionem feciſſe; reuulſionis ſcilicet, & deriuationis. Quaſi vero, reuulſio euacuatio neceſſario eſſet. Vnde manifeſtum errorem hauſiſſe conſtat. Nam ſi euacuatio eſſet de reuulſionis eſſentia, non poſſet ab ea ſeparari; at ſeparatur, non ergo eſt de reuulſionis eſſentia. Etenim cum reuulſio retractio ſit, poteſt, quælibet retractio, & cum euacuatione, & abſque ea fieri. Ex quibus conſtat ſomniatam illam vocis multiplicationem, à ſegregato, nō Gregali, medico, in Galeni litera non reperiatur? Sed caueat ne pro anathemate ſegregetur. At ex vno multa deducit abſurda. Poſito namque quod Galenus non reuulſionem, ſed deriuationem commendaret; atque quo magis vena deriuationi apta, eo magis reuulſioni ſit inepta poſt tandem, quam plurimas effuſas ineptias (quas poſtea, non carptim, ſed ſerie ordinata, refutabo, ni vires deficiāt) diffuſas adeo, vt Abſyrti membra colligas facilius: vltimo ſic ait. *Notum eſt, quoad communitatem vaſorum (ſi quod in noſtro corpore) iecur eſſe valde medium: quippe cum principium ſit venæ cauæ, eadem videtur eius, & venæ cauæ habenda ratio. Et hinc apparuit in præhabitis verbis, aduerſus nos dictis, Galenum commendaſſe, affecto iecore, venam dextri cubiti internam, quia amplā via cum caua habet ſocietatem, & eius, & iecoris eadem eſt habenda ratio. Sed caua vena mediat omnino communitate inter dextra, & ſiniſtra, ergo & iecur.* Hæc deriuator. Quibus poſitis, ait tandem, ſecure coire in eadem vena interna dextri cubiti, reuulſionem & deriuationem, quia ex vena caua cenſetur principium fluxus. Tamen vt à primo incipiam, cur ſi Galenum ibi deriuationis tantum gratia, venam cubiti dextri internam ſecare iubet, non, ſtatim morbo incipiēte, cum tuo Auicena, quem tantopere nuper defendebas, prius tali dextri venam non aperuiſti, ſiue ſophenam, poſtea, internam cubiti oppoſiti in latitudine poſtea nigram, priuſquam, internam cubiti dextri ſcinderes? Sic enim procedere debebas, vt deriuatio fælicius ſuccederet. Reſpondebis, quia origo fluxionis cenſetur vena caua. At ſic, tenaciori teneberis viſco. Nam longiſsime à fluxione tentata parte, tu cum Galeno, vt vis, reuulſionē facere, nuper contendebas. Quid? quod vt plurimum, ac vt ita dixerim, in inflammationis, hepatis, generatione, ſemper ex vniuerſo corporis habitu fluxionem excitari, aſſero. Quid igitur facies? incipies ne, ordine ſupradicto? At vero ad lienem te prouoco. Incipiat inflammari lien. Accede curaturus.

rus. Vnde nam sanguinem detrahes? Si consulis Auicenam, incipere a phlebotomia basilicæ suadet. Nec laterem designat. Adeo imperfecte curationem instituit. Si Galenum, si Paulum, si Alexandrum, omnes hi venam sinistri brachij internam secare iubent; Paulus, & Galenus pro reuulsione. Quid tamen tu, miserrime? hic enim subterfugium, situs, vel propinquitatis, aut amplæ viæ non suppetit. Nec tacebo stolidissimam, de fluxu sanguinis narium, euasionem; nam aliarum eiusdem farine, castigationem, in aliud reijciam tempus, ita nos cogente necessitate. Itaque post hepatis deliram deriuationem, simul cum reuulsione factam; statim sic ait. *Ob eandem etiam rationem in profluuijs narium, in quibus sola egemus reuulsione, eligit Galenus venam cubiti eiusdem lateris, quia nares mediæ sunt inter dextra, & sinistra, & ex caua vena versus cubitum eiusdem lateris reuulsus causæ antecedentis, non fertur versus locum profluuij vel ad proximiora ipsi, sed diuertitur versus locum ad quem melius cedit, & suauius.* Hæc deriuator. Quæ quã præcipitanter effutita sint, mox videbitur. Primo, cum nares in medio ponat, nulla, de venarum iugularium distributione, facta consideratione, sua peruertit, prius posita principia nostraque imprudens confirmat; nam si ex vena caua fluxus excitatur, fortius causam antecedentem ad locum patientem excitabit. Nam cum ab axilari. v.g. dextra, iugularis procedat, cuius pars externa per musculos faciei, nariumque pinnas fruticetur, necessario, per sanguinis missionem (vt ipse vult) ad partem affectam velocius fluere faciet. Et adhuc velocissime si corporis ad sit plenitudo. Quin etiam plus adhuc, cum duo iugularium surculi, dexter vnus, sinister vnus, in media coeant fronte. At nõ fluit, cum, te ipso asserente, potius reuulsu retrahatur, non deriuatione. Ergo prius posita principia, de reuulsione, per sanguinis missionẽ, à distantissimis factam, falsissima atque à Galeno maxime dissentientia sunt. Item sic argumentor. Si cui magis videtur in esse periculum fluxus causæ antecedentis non in est, & cui minus videbitur in esse non inerit. At in fluxu sanguinis narium, ex magis propinqua parti affectæ, & vbi, præter venæ cauæ communitatem, alia datur maior & propinquior dextrorum cum sinistris, quam in pleuritide, vbi maior est distantia à vena scisa ad partem affectam, & nulla est vasorum communitas, dextrorum cum sinistris præter quam venæ cauæ, quam Galenus, fere, nihili facit, ergo cum in fluxu sanguinis narium secure ac sine formidine reuulsionem ex uena propinquiori parti affectæ secure facis, securius multo in pleuritide illam, quæ e directo patienti lateri respondet, secare poteris, reuulsionis gratia, non deriuationis. Nec subterfugium differentis ortus est dari inter cephalicam, & basilicam siue internam, & externã, cũ ambo ab axillari æqualiter, & in eadem parte diffindantur. Mitto quod insulse nimis eandem, afferat, esse rationem positionis, in medio scilicet, hepatis & narium. Nam media hepatis positio, secundum longitudinem, narium vero secundum latitudinem, consideratur. Addo quod nariũ & hepatis, quod ad venarum distributionem attinet, diuersissimam esse, ex anatome, demonstratur. Si quidem venæ cauæ in hepate distributio, per totum hepar veluti arboris radix fruticatur, atque cum portæ quibusdam surculis coeunt. Narium vero venæ ex iugularium venarum ramis externis nutriuntur; atque adeo inter se dextræ à sinistris distinguntur vt nullatenus inter se coeant, nisi duo earum ramuli in frõte. Verum sapientibus & insipientibus omnia plana, & cum hæc ignoret, betizare nõ cessat, dicens, ex caua vena, &c. Quasi legislator (se ita volente) quicquid in bucam venit, sine vlla probatione, blaterat. Quo circa, vt ad pensum redeam, cum in his reuulsionem è directo laborantis lateris omnes, vena secta, commendent; nec causæ antecedentis, ad partem affectam, impetum timeant; super est vt in pleuritide eadem habeatur ratio, vt in apologetico dictum est. Atque hæc contra quartum falsissimum suppositum, Cæterum quod ad quintum attinet, & quomodo intelligendum sit, in quarto responsum est, vbi in quam falsa atque humano generi perniciosissima dogmata, spicula veritatis iaculata sunt. Quæ pro ingenioli mei viribus, quanta maxima potui diligentia paraui. Erroresq; & absurda non modo in medicina, verum dialectica, physica, atque metaphysica, & quod miteris magis, in grammaticæ rudimentis instituendum, quilibet, vel mediocriter eruditus iudicare potest, ex parte detexi, & postea, deo volente, detegam, quamuis facilius augiæ stabulum repurgandum iri credam, quam numus ille spartanus. Sed quid proteruis & au-

daculis

daculis facias? quos nullis rationibus, nullisque artibus persuadere possit? nil aliud, arbitror, nisi Deum optimum maximum suppliciter ex orare vt horum animos mentesque illuminet, & dirigat, vt, veritate cognita, resipiscant; & hoc gliscens malum procul abijciant. Si quidem summa pernicies est, exigua ars in ceruicosis, & audentibus hominibus, qui omnia sibi licere putant, modo aliquot medica nomina in medium ducere nouerint. Præsertim deriuator noster, qui sua temeritate, ne dicam crudelitate, non contentus, nouas experientias suas iactare non erubescit. Quasi vero experimentum periculosum nō sit, docente Hippocrate, & confirmante vniuersa medicorum schola, materiæ scilicet ratione; nec enim lateres, lutum, ligna, lapides, tegulæ, & coria, ita artis medicinalis materia est, in qua multis modis licet impune experiri. An ignoras, vitam breuem, & iudiciū difficile Hippocratem monuisse? Et quomodo, aut qua fronte experientias suas iactare potest ille qui heri aut nudius tertius medicinæ operam dare occepit? hui, tacito? an ignorat, ante Galeni, & forte Hippocratis tempora, insidiatores suæ factionis defuisse? aduersus quos tum Cornelius Celsus, tum vero Galenus, & nescio an Hippocrates, venam edirecto laborantis lateris scindere, reuulsionis gratia, non deriuationis (cuius nunquam meminere) disputarunt. Quin etiam omnes vniuersitates Christianæ, & docti extra eas medici (demptis quibusdam sciolis, qui vt se plus alijs scire vulgo ostentent, & vetulas, atq; homines imperitos decipiant) has insidias ab orcho reuocare non verentur iam olim, & in hunc vsque diem explosas, atque exibilatas, pessum dedere; sed dicere & interrogare licet, cum experimenta hæc periclitabatur;

*Dic mihi quot ægros æstate occideris vna.*

Audacule experimentator. Sed heus tu manum de tabula. Compesce linguam. Procul abijce insomnia. Nam si resipueris, te mera insomnia febricitantium edidisse deprehendes, falsaque supposita. Quibus subtractis, fundamentis totum ædificium corruat, necesse est. Nec tamen is sum qui possum omnibus vulgi satisfacere in somnijs. Nam,

*Somnia cuncta, licet, mendacis soluere vulgi,*
*OEdipus insudet; non satis vnus erit.*

Cui, si, quæ dicta sunt, non suffecerint, anticyras nauigare opus est. Possumusque illi catullianum illud cantare.

*Aegrotat magister, nec rogate,*
*Qualis sit, solet hic imaginosum.*

Parcite obsecro, nam vix tempero mihi in tanta sciolorum inscitia, calamo nimis prurientes, quamquam præstaret auribus. Hæc habui quæ dicerem contra inertissimam, pro Iulij Cæsaris, scaligeri ac nouatorum defensione, sentētiam: quam quidam cathedrarius medicus, cuius ne memineram quidem, in lucem edidit. Vt qui non vocatus, ad cōsilium accesserit. Nec miretur quod locis Galeni. I. de arte cur. ad Glauco. 2. &. 4. meth. &. 5. meth. &. 13. eiusdem. & de sang. miss. non satisfecerim; cum regiorum medicorum Christopho. á Vega, atque Ferdinandi de Mena scripta per legere liceat inibique inuenire possit plenissimam satisfactionem, quam breuitati studens, transcribere super sedi; contra delirantes deriuatores.